



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Deflorator virginis, eadem consentiente quid debeat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

violata illud ante sententiam acquirere, quia sententia petit Virginem esse publicè, vel certe non occultè violatam. Dixi (excluditur à Sanchez): nam esse etiam probabile reputatam communiter virginem, licet occultè violatam, posse acquirere tale legatum p. d. l. *superius* dictum est.

5. Quid de Matrimonio? puella signaculo Virginitatis occultè fessio, peccatne medicamentis, aliisque mediis naviter utatur, quo defectum illum calet, atque ut virgo Matrimonio collocetur? Respondeo, si probabiliter iudicet fore, ut futurus Maritus nunquam hoc vitium cognoscat, nec ipsam, nec Parentes ad oculatorem cooperantes peccaturos. Ita Bonac. 8. Dec. pr. d. 10. q. 1. num. 8. Sanchez lib. 6. de matr. d. 27. n. 8. & 9. Nav. c. inter verba, concl. 1. coroll. 16. n. 60. Ratio est, quia nullum infertur viro damnum, nec puella propriè dicitur sic mentiri, dum enim illis mediis utitur, non id agit animo alterum decipiendi, sed animo suum vitium quod manifestare non obligatur, occultandi. Verum, si iudicet fore, ut defectum veniat in viri notitiam, qui illud ægerimè ferat, peccabit graviter contra Charitatem; hoc enim modo præfert occasionem innumeris malis, & præsertim magnæ discordiæ toto ferè vitæ tempore inter ipsam, maritumque. Nota illud (ægerimè ferat.) Huc reduco, si quis sileat se morbo Gallico laborare, quo sit periculum inficiendi incautum vxorem, &c.

6. Non tamen puto violatam illam peccaturam contra Iustitiam; quia non solent Coniuges vitia, quæ habent manifestare, & sicuti Maritus sua occulta non manifestat, ita nec sua patefacere tenebitur Vxor. Adde esse nimis intolerabile, obligare puellam ad se infamandam, vel ad abstinendum à nuptiis, vel ad nubendum hominibus infimæ sortis. Nec est par ratio de contractu venditionis, in quo vitia occulta rei venditæ manifestare modo infra dicendo necessarium est: non, inquam, est par ratio, quia in contractu Matrimonij consuetudo fert, ut sicuti Vir sine iniustitia sua vitia occulta (abstrahendo ab illis, quæ Vxor inficiunt) non propalat, ita non manifestet sua, quantum est ex vi Iustitiæ, Mulier: quæ consuetudo non est in venditionibus.

§. III. De obligatione Stupratoris.

1. Stylum nunc admoveamus ad explicandam obligationem restitutionis, à stupro derivantem. De qua satis, strictim dictum modo est §. 1. num. 4. Pro ea ergo, ut ordinatim procedamus, nominasse oportet, stupratorem posse, Primò virginem volentem, & consentientem deflorare; Secundò vi, metu, similique iniuria; Tertio cum promissione Matrimonij. De singulis seorsim.

2. Pro certo autem suppono. Primò, si nullum damnum deflorata virgo passa est, ad nihil tenet defloratorem. Cum enim huius tota obligatio, de qua tunc agimus, oriatur ex damno facto: hoc non existente evanescit obligatio. Ita Less. Valsq. Turrian. apud de Lugo. l. 1. de iust. d. 12. num. 16. Hinc si deflorata etiam per vim, bene deinde, & iuxta suum statum nupit; ad nihil obligatur Deflorator: Nam nec pro apertione claustrum aliquid debet, quia hoc malum est irreparabile, & alterius ordinis; nec ob dotem datam à Parentibus, hæc enim semper danda erat, &c. si tamen propter periculum non bene nubendi aliquid virgini dedit deflorator, quamvis illa deinde optimè nupit; poterit in conscientia virgo illud retinere, quia periculum non nubendi pretio fuit æstimabile.

3. Secundò, si virgo liberè remittit, liber erit deflorator: Neque enim requiritur consensus Patris, vel alterius; quia sui corporis, quoad hoc, domina est quæcunque Mulier.

4. Tertio, in foro externo, etiam si nullum damnum virgo passa sit, si tamen vi oppressa fuerit, Raptoris

poenas incurrit Stuprator, de quibus vide Lessium l. 1. c. 3. dub. 9. num. 66. & 68. & Azor. p. 3. lib. c. 13. c. 1. nos aliquid tangemus cap. 6. §. 2. num. 9. Quid, si violavit, sed nunc non habet, unde restituat, nec modo possit refacere, nisi eam ducendo, obligabitur ne illam ducat? Respondeo, ad id obligari per se, dicitur de Lugo, lib. 6. resp. dub. 29. quem vide.

Deflorator virginis, eadem consentiente, quid debeat?

5. Jam vero his positis, communis est Recentiorum sententia, defloratorem puellæ ex eiusdem puellæ consensu, nihil in conscientia debere, nec puellæ, nec parentibus, propter rationem num. 3. dictam. Ipsi vero puellam peccare contra charitatem in Patrem, & in suam aliqui honestam familiam, si publicè peccet ac Patris confurbatio notabilis prævideatur, communem esse doctrinam. Ita DD. cit. & passim.

6. Illa explicatione indiget dictum Recentiorum sententia. Nam si puella occultè consensit, tu verò crime propalasti, ad restitutionem damni teneris; quia si causa iniusta infamationis, unde aliquid damni puellæ emerit, esse supponimus. Idem propter similitudinem puto, si iis modis sollicitates invitam, quibus facile, ut vrbem credatur ea assensum præbuisse: ut de nocte per fenestras ad eius cubiculum penetrare tentares: At verò apud eiusdem puellæ templum committentem à longe comitari, aspicere, salutare, &c. sunt ex se eadem modis, qui infamationem causant. Ideo hæc displicere honestæ puellæ facile quilibet eximare valet, nisi fortè ita sepe, & in his circumstantiis hæc fiant; ut meritò consensum suspicari invitat puella alij possint.

7. Dixi autem num. 5. (nihil debere in conscientia) nam in foro externo, qui defloravit virginem, eam valentem, cogitur à Iudice eam dotare; lege sic habentis, ut notavit Lessius, lib. 2. cap. 7. n. 44. propter hoc num. commune.

Quæstio incidens: An virgo pro primo usu sui corporis possit aliquid amplius pretij petere.

Vbi:

An accepta ob turpem causam sine restituenda?

8. Illud hic per occasionem sciscitabitur aliquis, An virgo licite possit pro usu primo sui corporis mercedem accipere? Quis aut plus, quam accipere solet alij præstituta? Tertio, quæ mensurâ eiusmodi pretium, ut sit iustum, eadem exposcere tutè valeat. Ut hæc quæstiones lucem habeant, altius res est repetenda; & examinandum, An pro quolibet turpi lucro accipi pretium licitè possit; nam deinde ad has difficultates de virginis commodiùs descendemus.

9. Et quidem regulam universalem sic statuo, et Azor. p. 3. lib. 4. cap. 2. 1. Molin. trakt. 2. disp. 82. Valent. g. 4. de Iustitia part. 5. §. 2. quæstioncula 5. Salon. contr. 4. c. 3. Less. lib. 2. cap. 1. 4. dub. 8. & cap. 18. dub. 3. Valsq. de iust. §. 3. cap. 7. Dian. t. 1. p. 2. trakt. 16. res. 3. 8. alios citans, de Lugo tom. 1. de iust. d. 18. sect. 3. Dicastill. lib. 2. trakt. 2. de iust. d. 1. dub. 1. Quoties pretij traditio ex parte dantis, vel receptio ex parte recipientis, vel utraque ex parte virtutis, quæ ex ratione sui turpis, & illicita contra Iustitiam, toties ultra peccatum, est obligatio restituendi. Quoties verò ipsa receptio est illicita, & peccaminosa contra alias virtutes, quamvis item peccatum antea fuerit contra easdem virtutes, imò & antea peccatum fuerit contra Iustitiam; tamen si ipsa receptio non est contra eandem Iustitiæ virtutem: tunc licitè post impletam conditionem potest recipi pretium, & retineri sine obligatione restituendi. Ratio fundamentalis regulæ est, quia obligatio restituendi non oritur nisi